

Digitales Brandenburg

hosted by **Universitätsbibliothek Potsdam**

Cl. Gal. De Vsv Partivm Corporis Hvmani Libri XVII.

Galenus, Claudius

Lugduni, 1550

LIBER QVARTVSDECIMVS.

urn:nbn:de:kobv:517-vlib-42



GALENI DE

VSU PARTIVM COR-

PORIS HVMANI LI-

BER QVARTVS

DECI-

MVS,

*

Nicolao Regio Calabro

interprete.

**

Triplicem partium animalis differentiam explicat, & de partibus quæ nobis ad generis instaurationem sunt tributa, hoc libro se dicturum pollicetur. CAP. I.



CVM tres primi nature sint in partibus animalis construendis scopi (nam ex ipsis quasdam fecit ad viuendum necessarias, cuius generis sunt cerebrum, cor, & hep- par: quasdam ad viuendum commodius, vt ocu- los, nares, aures: † quasdam ad generis instaurationem, vt pudenda, testes, ac matrices) quod nulla quidem pars non modò quæ ad viuendum, verum etiam quæ ad commodius viuendum est com- para

† Et ma-
nus, addit
vet. cod.

parata, melius quàm nunc habet, construi potuit: abundè nobis antea fuit demonstratum. Hoc autem libro, partes, quæ nobis ad generis instauracionem à natura sunt tributæ, supersunt adhuc explicandæ.

Quomodo generatione sui similis, natura feratur ad immortalitatem. CAP. II.

AT certè natura, si fieri potuisset, maximè optasset suū opificium esse immortale: quod cum per materiam non liceret (nam quod ex arterijs, venis, nervis, & ossibus, ac præterea carne est compositum, incorruptibile id esse non potest) subsidium quod potuit ipsi ad immortalitatem est fabricata, sapientis cuiusdam vrbs conditoris exemplo, qui non id modo agit, vt urbem suam in presens tantum tempus populo frequentet, sed prouidet, quo pacto in omne tempus, aut saltem diutissimè ciuitas conseruetur, nulla tamen ciuitas floruisse adeò memoratur, vt non dies ipsa conditoris memoriam deleuerit. Naturæ verò opificium multis annorum millibus iam constitit, atq; in posterum stabit. Nam mirabilem quandam rationem inuenit, quo modo in demortui animalis locū nouum aliud sufficiat: quam nos rationem hoc volumine, quod nunc est in manibus, explicabimus. Pertinet enim ea cum ad alia omnia, tum autem ad hominem, vt nullum animalis genus pereat, sed incolume semper sit atque immortale. Atque hinc auspicabimur: Omnibus animalibus natura

concupiens instrumenta tribuit, ipsisq; instrumentis eximiam quandam vim voluptatis effectricem: anime vero ipsis usurae incredibilem quandam atque ineffabilem utendi cupiditatem coniunxit, à qua animalia incitata ac stimulata, etiamsi mentis ac rationis expertia, etateq; tenera sint, provident tamen non secus ac si essent prudentissima, ut genus suum sit superstes. Cum enim (ut ego arbitror) non ignoraret substantiam ex qua animalia est molita, perfectam sapientiam non admittere, pro ea quod solum recipere ipsa poterant, id eis est largita, escam, scilicet atque illecebram ad salutem generis ac conservationem, incredibilem voluptatem vsui partium coniungens.

Quod in locandis membris, & circa generationis principia natura fuit sagacissima.

C A P. I I I.

IN primis igitur id naturae commentum est admirabile. Secundo autem loco instrumentorum constructio, quam cuique animali dedit corporis ipsius formae convenientem. Porro quod ad cetera animantia pertinet, licebit tibi olim à nobis discere, cum ea, quae Aristoteles praetermisit, adiciemus. In homine vero (huius enim constructionem initio suscepimus exponendam) prima quidem pudendorum substantia, quam sit ad suum usum appositam, nemo ignorat, nam & positionem habet accommodatam, & magnitudinem, & figuram, ac totam denique conformationem. Post autem & cum instru-
mentis

mentorum cuiusque in profundo conditorum (quae potius per anatomen sunt animaduersa) utilitatem didiceris, certo scio, quod artem quae ipsa condidit, admiraberis. In faemineo enim genere matricem ventri subiecit, qui locus est, tum ad usum venereorum, tum ad sperma recipiendum, & praeterea ad foetus incrementum, & perfecti enixum opportunissimus. Neque enim locum ullum in toto animalis corpore, inuenias ad quiduis praedictorum accommodatiorem. Sed is tum ad coitum est optimus, quod longè ab instrumentis, quae faciei insunt, sit distitus: tum ad foetus augmentum opportunissimus, quod possit sine dolore distendi plurimum: tum ad partus utilissimus, quod inferiora, & ad crura exitus foetui sit futurus facilior. Quandoquidè matricem collum (quod iter spermatis quidè intrò, embryo verò iam perfecto extra natura antè muniuit) in pudendum muliebri desinit: quod cum animal concepit, clauditur ad vnguem, adeò vt ne minimum quidem aut intus foras laxet, aut foris intrò recipiat. Qui in coitu eiusque patet, ac tenditur, vt semen per latam viam progrediens, facile in matricem sinum perueniat. In partu verò plurimum distenditur, sic vt totum embryon ea via permeet. Non igitur immerito factum à natura est neruosum ac durum: neruosum quidem, vt plurimum vicissim contrahatur ac dilatetur: durum autem, ne quid in eiusmodi mutationibus afficiatur, & ad sperma excipiendum dirigatur.

rigatur. Nam si præmollitie in seipsum cõcidens, plexus quosdam ac flexus efficeret, ab ijs semen prohiberetur, quò minus ad sinus matricum celeriter perueniret. Atque in eo humor ac spiritus à sese separarentur, cum tamen coire ipsa sit necessesse, hunc quidem, vt motus principium: illum autem, vt materiam ad foetuum generationem appositam. Non enim sanguis quidem menstruus prima est materia atque gignendi animalis propria, quemadmodum alibi demonstrauimus: Sed cum seminis humiditas à calore insito incitata matricum tunicis inciderit, quæ cum ipsa sit viscosa, corporibusq; asperis inciderit, non secus ac pinguedo facile adglutinatur. Atque inde vno temporis momento multa fiunt, eaq; admirabilia nature circa animalis generationis principium opera. Nam matrix ipsa quam celerrimè semini vndiq; adheret: collum autem totum cõiuet, & eius maximè internum orificium. Qui verò humor matricis asperitates illinit, toti superfici ei internæ subtensus, membrana tenuis efficitur: interea autem spiritus vndique ad vnguem retentus, non elabatur, motusq; naturales primus orditur. † Nã & humiditatem quidem tenuem è venis & arterijs in matrices attrahit, & eas similes humoribus quibus ipse accidit reddit, crassitiemq; quandam ac copiam iam tum ipsis apparans.] Quòd si non repentè in sinus matricis incideret, sed itinere aliquantum moraretur, exinaniretur statim

† In manu scripto hæc præterea sunt.

tim atque ab humore excideret, & expirando euo-
laret, vt qui exiguus est ac leuis: vt autem nihil
tale accideret, natura collum matricis durum me-
diocriter effecit, vt cum spiritus intrò fertur, ten-
sum simul ac dilatatum eousque dirigatur ac di-
latetur, quoad satis esset semini sine impedimento
ferendo, & post ipsius ingressum claudendo orifi-
cio. Quòd si iusto esset durius, facile quidem dige-
retur, non tamen facile ac celeriter concideret.
Quemadmodum si esset, quàm nunc est mollius, co-
tius in seipsum concidere totum quidem posset: di-
rigi tamen ac tendi atque dilatari, ipsi esset dif-
ficile. Ad vtrasque igitur vtilitates quaquam
còtrarias, ex còtrarijs qualitibus natura ipsum
iusto modo temperauit, tantum ipsi duritiei tri-
buens, quantam latitudinem simul ac rectitudi-
nem tribuit, vt esset ad semen recipiendum com-
modatum. Mollitiem verò tantam ei miscuit,
vt celeriter dilatari posset plurimum ac contrahi.
Ne igitur amplius mireris, cum aut in animalibus
dissecandis intueris, aut scriptum ab Hero-
philo, aut alio quopiam anatomicorum reperis,
collum matricum omni alio tempore esse contortum
atque obliquum, quo scilicet neque semen intrò fer-
tur, neq; embryon extra. Id enim constructioni
predictæ est consentaneum, quæ se habet in molli-
tie ac duritie mediocriter. Quòd quidem si quàm
satis est, matricum collum esset durius, haudqua-
quam dum sese contrahit, contorqueretur. Nunc
autem

autem cum ipsum molle etiam mediocriter effici præstiterit, quando is laxatus iam in seipsum confidet rugas nonnullas ac flexus & contorsiones habeat est necesse: quod, ne, quæ in matrice habentur, refrigeretur, multum habet momenti. Causa enim cur in mensuris purgationibus ac partibus mulieres maxime refrigerentur, est, quod tunc matricum collum fit rectum, atque apertum: quod si similiter semper haberet, similiter etiam semper refrigeraretur.

Conceptaculo matricis semper numero mammarum respondere docet, & differit de mammarum cum matricibus communione & discrimine.

CAP. IIII.

AT collum hoc unicum, matricis vero capacitatem natura non fecit simplicem, sed in porcis quidem, atque alijs quibusdam quæ multos fetus utero gestare est necesse, conceptacula fecit quamplurima. In homine vero atque eiusmodi, quemadmodum corpus totum dextris ac sinistris est geminum: ita & matricis sinus, aliter quidem in dextris, alius vero in sinistris est locatus. natura enim providens, ne quod animalis genus periret, quæ propter corporis imbecillitatem, aut vitam omnino brevissimam, aut præda fortioribus erat futura: ijs omnibus assidui interitus remedium excogitavit, sæcundam, scilicet generationem. Est certe hoc opus nature admirabile, omnem tamen, certo scio, superabit admirationem, sinuum numerus, quæ

quem natura mamillis fecit æqualē. Nec est quod
sophistæ hæc dicant, causam hinc nullā esse, sed for-
tunā quandā imperitā, nullo artificio hominibus
quidē duos matricū sinus: suis verò quāpluri-
mos effecisse. Quod autem tot sint māmæ, quot si-
nus, id mentem nostrā debet à temerario ortu re-
uocare. Quod si in homine ac sue fortuna domi-
natur, saltem quod in alijs omnibus animalibus
fœtū numerus vberibus sit æquabilis, id haud-
quaquam ne impudentissimis quidem, sine prou-
dentia fieri videbitur, nisi impudentissimis sint
impudentiores. At quod māmæ lac tunc acce-
dit, quo tempore fœtus iam planè est absolutus, id
dementi cuipiā fortuna, non arti eximie ferant
acceptum: quod, si aliud nihil, id tamē solum cui-
vis persuadere queat, factū fuisse artificiose. cum
enim tenera adhuc sint atq; imbecilla recens nata
animalia, edulia solida nondum possunt cōficere.
Ob eam certè causam natura, perinde ac si vtero
adhuc gererentur, alimentū ex matre ipsis cōpa-
rauit. Quibus verò animalibus propter corporis
siccatem humor superfluus subnutriri non pote-
rat, ut volucris omnibus: us natura nouā quā-
dam pullos educandi, rationem excogitauit. ipsis
enim præcipuum quendā amorem, in ea que pro-
crearunt, ingenerauit, quo impulsa bellū pro pul-
lis cum ferocibus animalibus, que ante declina-
bāt, intrepidè suscipiūt, victūq; ipsis conueniētem
suppeditāt. Quod autem ad aliorum animalium
part

partes omnes attinet, quāta in eis natura sit pro-
 uidentia, olim seorsum explicabimus. Homo verò
 (de eo enim sermo ab initio nobis est institutus)
 cum partes alias omnes corporis mirabili quadā
 arte haberet (vt probauimus) constructas, quæ ta-
 men ad generationē pertinet, nulla in re illis sunt
 inferiores: vt enim matrices duæ mulieribus sunt
 factæ in vnum collum desinentes, ita & vbera
 duo, vtrunq; suæ matri, instar boni cuiusdam
 serui subseruiens. Vnde Hippocrates ait: Mulie-
 ri geminos vtero gerenti, si mammariū altera erit
 gracilis, geminumq; fœtum gerat, ipsa alterum
 abortiet: & si dextra quidem gracilescat, mascu-
 lum: sin verò sinistra, fœminam. Quod Hippo-
 cratis dictum illi est consonum: Fœtuū, mares
 quidem in dextris, fœminæ autē in sinistris sunt
 potius. Non me præterit, quantam disputationem
 attingam: neq; fieri posse vt quis partium genita-
 lium vsus, sine actionibus naturalibus satis ex-
 ponat. Nam iam inde ab initio totius disputationis
 demonstrauimus, neminem vsus singularum
 instrumenti particularum posse inuenire, nisi co-
 gnitam prius habeat actionem. Quemadmodum
 igitur toto precedenti sermone hypotheses, propo-
 sito quod tractabamus, ea quæ alibi fuerunt de-
 monstrata, fecimus, tum autem particularū vsus
 exposuimus: ita nunc quoq; faciemus. Nā quòd in
 dextra matrice fœmineus fœtus rarò cōtineri in-
 ueniatur, in libris de anatome Hippocratis co-
 piose

piose dictū à nobis fuit. Apparet autem perspicue quotidie mammarum cum matricibus cōmunio non modo cum fœtus intereūt, de quibus Hippocrates nos docuit, verum etiam ante id, cum adhuc animal se habet secundum naturam. Exiguæ porro, dum fœtus augetur, sunt māmæ, quo modo & matricis: cum autem perfecti fuerint, & pariendi tempus infliterit, simul cum matricibus, quod satis est, intumescūt. Quod cū vtriq; instrumento accesserit, matricis quidē partes sunt, sperma recipere, & fœtum perficere: māmæ verò, quod iam est natum, educare. Quòd si animalia attentius dissecueris, reperias in ijs quidem, quæ adhuc augetur, vesicas multo matricibus esse maiores: in perfectis autem, matricis vesicis. Vesica enim ad portionem omnium aliarum partium augetur, vt quæ omnibus ætatibus equaliter seruiat: matrix verò neq; dum augetur adhuc animalia, neq; cum iam conseruerunt, ritè actionem suam potest obire. Siquidē alimenti benigni abundantis fœtibus est vsus, cuiusmodi in solis florentibus animalibus potest abundare: In declinantibus verò quòd vires sint imbecillæ, alimentum non ritè cōcoquitur: quo fit, vt cum illis bene agatur, si ad suum proprium vsum alimentum, quod satis sit, possint comparare. In eis autem quæ augetur, valentes quidem sunt vires: ob eamq; causam alimentum benignum coquunt plurimum: quòd cum duabus actionibus nutritioni scilicet & au-

d d

Etioni sufficere oporteat, superfluum nihil relinquit. In solis igitur etate florentibus, ceu augeri iam desinentibus, & viribus adhuc valentibus, magna benigni alimenti est affluentia. Quapropter natura in ijs quidem animalibus matrices efficit maximas: in imperfectis vero, & eis quæ consenuerunt, exiles, quòd illas quidem ad concipiendum, magnitudinem habere oporteat commemorabilem: his verò quòd otiosa esset futura, magnitudo erat planè superflua.

Postquam ostendit artem esse mirabilem in instrumentis mammarum & matricum, enumerat quæ sit deinceps traditurus.

CAP. V.

Num igitur omnia hæc in mammis et matricibus sunt, instrumentis ipsis, quid agendum sit, mente quadam providentibus? eo certe modo ne instrumenta quidem maneant, sed animalia sint mente prædita, ut quibus mouendi tempus ac modus esset cognitus. Si verò naturalem quandam in ipsorum constructione addideris necessitatem, quæ ad motus prædictos ipsa agat: instrumenta quidem iam & animalis partes seruiabuntur, artem verò mirabilem opificis præseferent. Quemadmodum enim qui errantium aëtorum periodos imitantur, simulatq; per instrumenta quædam motus principium ipsis tribuerint, ipsi quidem discedunt: illa verò non aliter
quærit

quàm si ipsorum opifex semper adesset, agunt. Ad eundem, opinor, modum, singulae corporis partes motus continuitate quadam ac successione à primo principio assiduè agunt, nullo, qui praesit, indigentes. Nos autem si minus aperte omnia naturae opera explicare possumus (sunt enim explicatio difficillima) conandum saltem est, ut ea omnia mente consequamur. In primis quidem causa propter quam vbera cum matricibus communionem habeant, est inuenienda: tum autem cur masculi quidem in dextro matricis sinu inueniatur, foemina verò in sinistro, exponendum: praeterea de laetis generatione: ac cur matricibus: una cum mammis augeantur ac minuantur: vñ ante haec omnia, quae nam maris sit natura, & quae nam foeminae. Nam rei huius disquisitio (ut mihi quidem videtur) velut principium quoddam ac fons aliorum inueniendorum est futurus. Rectè quidem Aristoteles mihi censuisse videtur, foeminam mare esse imperfectiorem, non tamen totam hanc disputationem est executus, sed caput ipsum praetermississe videtur: quod ego nunc adijcere conabor, quae ab illo rectè fuerunt demonstrata, & ante ipsum ab Hippocrate, hypotheses ad praesentia sumendo, quod ad rem absolvendam desideratur, id exequendo.

Quòd foemina mare sit imperfectior, omnesque viri partes in mulieribus reperiuntur, sed positione differunt.

CAP. VI.

dd 2

Est igitur fœmina mare imperfectior, vna
 quidē ac prima ratione, quia frigidior: si qui-
 dē in animalibus calidū est actiuum magis, frigi-
 dum autem, calido minus: Secunda verò ratione
 ea, quæ in dissectione apparet. Hac enim potissi-
 mum est ratio, quam paulo ante innuebam, dictū
 mihi esse difficillimam: verum cum tempus me in-
 uitet, ad eam audacter est ag grediendum. Tu au-
 tem qui hoc in loco videris, tractatumq; hūc euol-
 uis, ne prius vera sint necne expenderis, quàm ea
 quæ dico, ipse tuis oculis inspexeris. Nam certo scio,
 partium ipsarum aspectum quod verbis deest, ad-
 iecturum. Omnes igitur quæ viris insunt partes,
 in mulieribus etiam reperias, nisi in eo duntaxat
 discrepent (quod in toto sermone tenere memoria
 oportet) quod in mulieribus quidē partes he in-
 tus sunt condite, in viris autem sunt [extra] ad-
 nuncupatum perineum. Vtras enim harum prio-
 res mente vides concipere, mulierum quidē ex-
 tra euertēdo, virorum autem vult intro verten-
 do atque replicando, omnes sibi inter se similes in-
 uenias. Intellige autem mihi prius, virorum pu-
 denda inuersa simul & inter rectum intestinum
 ac vesicam intro se recipere: Verum si id accidat,
 quem matrices locum occupant, eum iam à scro-
 to occupari est necesse: extrinsecus autem vtrin-
 que testes ei adiacere, ad collum eius sinus colem maris
 effici, quæ verò cutis est in fine colis (quod nunc
 preputium appellamus) ipsum pudendum mulie-
 bre re

bre representare. Intellige autem mihi rursus matricem euersam simul, at extra prominentem nonne testes ipsius quoq; parte interna esse est necesse, ipsam autem extrinsecus velut scrotum quoddam esse circumdatam: collum autem quod ante in perineo erat abditum, nunc pendere ac pudendum virile effici pudendumq; muliebre (quod est velut cutacea quaedam huius colli epiphysis) in vocatum preputium transferri? Cōsentaneum his sanè est, & arteriarum ac venarū, & præterea vasorum spermaticorum positionem, vnà cum his transferri. Nullam enim in viris partem inuenias, quæ in mulieribus non insit: tantum positione dissident. Quæ enim in mulieribus sunt intus, eæ in viris sunt extra: cuiusmodi & in talparū oculis accideri videas. Hæ enim vitreum ac crystallinum humorem etiam habent, & præterea tunicas his circumdatas (quas ortas à meningibus esse diximus) non minus habent quàm animalia quæ oculis vtuntur. Sed neq; eis aperti fuerūt oculi, neq; foras prodierunt: sed ea re inchoati fuerunt relictī similes eorum oculis qui vtero adhuc geruntur, manētes.

* Est sanè naturarum in animalibus (quemadmodum Aristoteles copiosissimè ostendit) non parua differentia: alia enim non longè à plantis recesserunt, suntq; ea omnium animalium imperfectissima, sensu vnico tactus scilicet prædita: quorum in genere sunt ostreorum plurima, quibus non solum nullam inest sensus instrumentum, sed ne

* Vet. cod. hæc addit hoc in loco, non tamen quum creuerint talpæ, cerunt, quæuis oculorum quandā habeāt deliniationem.

membrum quidem aut viscus vllum habent con-
 formatum sed propemodum sunt plantæ. His au-
 tem amplius recesserunt, quæ gustandi habent
 instrumentum: & ipsæ adhuc amplius, quæ odo-
 randi etiam habent instrumentum: quibus adhuc
 multo magis, quæ audiendi etiam instrumento
 sunt prædita. Proxima verò sunt perfectis, qui-
 bus cum hæc omnia, tum etiam visus instrumen-
 tum adest: cuius sanè generis sunt & pisces: verù
 eis neque pedes habent, neque manus. Leones verò ac
 canes non pedes modo, verum etiam velut manus
 sunt adepti. Et his adhuc magis, ut si ac simia. So-
 lis autem hominibus, manus iam est perfecta: quo
 modo & ratio quæ ipsa est vsura, qua diuinius ni-
 hil mortali animali inest. Sicut igitur homo ani-
 mal est omnium perfectissimum, ita in eo ipso rur-
 sus vir muliere est perfectior, cuius perfectionis
 causa est, caloris exuperantia. Hic enim primum
 est naturæ instrumentum. In quibus igitur est
 parior, in his opificium sit imperfectius est necesse.
 Nihil igitur est mirum, si foemina mare tantò est
 imperfectior, quanto frigidior. Nam quemadmo-
 dum talpa oculos habet imperfectos, non tamen
 imperfectos æquè ut quibus animalibus ne ipso-
 rum quidem omnino vlla est delinatio: sic & mu-
 lier partibus genitalibus viro est imperfectior.
 Partes enim ipsius formatae intus fuerunt, dum
 ipsa vtero adhuc gestaretur. Cum autem extare
 & foras emicare præ caloris imbecillitate non pos-
 sent:

sent: ipsum quidem animal quod conformabatur, imperfectius eo quod undiq; est absolutū, reddiderunt: toti verò generi utilitatem non aspernamdam præstiterunt. Oportebat enim quandam esse foeminam: nec credendum est opificem, partem totius generis nostri dimidiam sua sponte imperfectam ac velut mancam fuisse facturum, nisi imperfectionem hanc magna quaedam utilitas fuisset secutura, quam mox explicabimus. Fœtus ipse materiã postulat copiosam, non modo ad primam sui constitutionem, sed ad omne etiã deinceps incrementum. Proinde duorum alterum accidat ipsi est necesse, aut ipsius utero gerentis alimentum rapiat, aut superfluum accipiat. Verum rapere quidem * non erat melius: superfluum verò assumere non poterat, si foemina fuisset calidissima. Discuteret enim ipsum sic, & facile exiccaret. Frigidiorẽ igitur eam eousq; fieri satius fuit, quoad alimentum quod coxisset ac confecisset, totum discutere non posset. Quod enim est frigidius, nec concoquere quidem potest: quod verò planè est calidum, ut concoquere, ita discutere valide potest. Quod igitur non ita multum à calidissimo relinquitur, & coquere satis (ut quod non amplius est frigidum) & relinquere aliquid superfluum (seu quod non vehementer adeò sit calidum) potest. Hæc igitur est frigiditatis foemine utilitas, quam mox secutura erat partium imperfectio,

* Hunc locum aliter habet vet. cod. ita videlicet: sed rapere quidem erat obesse gignenti. Ego verò credo tam imprefectis quam vetusto codici quippiam deesse, atque hæc esse integram huius loci lectionem ex utrisq; collectam, sed rapere quidem ei qui gignitur melius est, tamẽ id est gignenti obesse.

cum ipse præ caloris imbecillitate foras prorumpere
 non possent: quod commodum ad generis instaurati-
 onem est secundum ac maximum. Nam si extra
 produissent, scortum utique extitisset: quod cum
 intus iam subsideat, matricum substantia est factum,
 instrumentum semini recipiendo ac retinendo,
 fœtui præterea alendo ac perficiendo aptum.
 Statim autem & testiculos fœmina erat habitura
 minores atque imperfectiores: ac sperma quod in
 ipsis erat futurum, parcius ac frigidius humidiusque.
 Sequuntur enim hæc quoque necessario caloris penuriam.
 Non igitur semen eiusmodi, generando animali
 satis esse poterat: fuit tamen in eam rem & ipsum
 utile. Neque enim frustra factum fuit, quod
 procedente sermone exponemus. Mas vero quanto
 est calidior, tanto ipsius testiculi maiores extiterunt.
 Semen autem quod in ipsis generatur, cum sit
 summè coctum, principium est animalis effectivum.
 Ab uno igitur principio, quod ab opifice sapienter
 fuit inventum, & quo fœmina mare fuit imperfectior,
 nata sunt omnia, quæ ad animalis generationem
 pertinent: tum quod fœminæ partes foras excidere
 nequeant, ipseque alimenti benigni superfluum
 colligant, semenque habeant imperfectum, & cavum
 instrumentum ad semen perfectum recipiendum:
 tum quod in masculis contra omnia accidant,
 prudendum scilicet sit prælongum, ad veneremque
 ac semen excernendum aptissimum: semen ipsum
 sit multum ac crassum & calidum.

Ad

Ad animalis generationem quomodo concurrat
viri ac mulieris semen, sexusq; discrimen
vnde fiat.

CAP. VII.

Noli igitur putare semen ipsum alia qua-
dam rationem ad maris, alia ad fœminæ
procreationem moueri, eo enim modo principium
animalis non esset simplex ac vnicum, si motus ha-
beret omni ratione sibi pugnantes. Verum (quod
nuper diximus) fœmina, in motu est imperfectior:
mas verò perfectior. Quem motum perfectum
aut contra, in equalitati in calido & frigido iure
tribueris, ad quod vnū principium (si modo planè
est physicus) particulares omnes actiones reuocabis.
Quis igitur principium id potest fœtibus ingigni?
Nam qui existimant fœminam semen fœcundum
emittere, his mirum non videtur, fœminam tunc
concipi, cum seminis fœminini motus, masculini
motibus preualent. At hi non intelligunt, pri-
mum quidem duorum motuum principia facere
inter sese pugnantia. Quãdoquidem si semen fœ-
minæ motus potissimum habet principium, omni-
no eiusdem cum mare motus habet principium,
ipsumq; oportet cum semine maris misceri, ac tunc
demum velut vnum postea agere. Quod si id non
oporteat, quid impediēt quò minus fœmina solo se-
mine in seipsam emisso, ita demum fœtum absol-
uat? Atqui hoc accidere non videmus: constat
ergo quòd omnino semen maris flagitat. Quod si
ita est, misceatur cum eo est necesse, atque ita

vtrunque semen in vnum motum conspirent. Fieri enim non posset, vt si vtrunque motu inter se discrepante mouerentur, in vnius animalis procreationem conspirarent. Vt autem paucis rem omnem complectar, si quis aliam quampiam seminis fœminini viam atque motus ordinem, aliam autem maris existimet, is haudquaquam in rebus naturalibus cœsēbitur exercitatus. Siue enim fœminæ semen, siue sanguis, qui in matrices promanat, motus principium quoddam conferat: omnino motus principium idem cum maris semine habere est putandum. Quod in gallinis est perspicuum, concipiunt enim hæc oua, que *ἀνεπίσπαια*, id est, subuentanea nuncupantur, sine coïtu cum mare. Quibus vis quod desit quidpiam ad perfectionem, id indicio est, quod animal ex ipsis gigni non possit. Quod tamen hæc quoque formam omnem habeant, quam & alia oua, apparet euidenter. Vt enim perficiantur, solam à masculo desiderant caliditatem. Verum id in gressilibus quidem animalibus adesse non potest. Cum enim omnia hæc volucribus longè sunt humidi ora, corpus fœmininum omnino habent imbecillum, quod eò motus progredi non potest, vt formam artificiosam fœtui imprimat. Solum autē, si quod animalis est genus temperatura eousq; siccum, vt humoris frigidi redundantiam in fœminæ semine possit quadantenus absumere, id fœtum eiusmodi, qualia sunt in gallinis ea oua, sine mare potest efficere.

efficere. Verum in gressilibus quidē animalibus, quid reperias, quod ouo pro portione respondeat, nisi quem medici appellant molam conceptum? quæ sanè caro quædam est inutilis, atque informis. Si igitur eousque volunt semen fœminæ progredi: primum quidem quod parum artificiosam actionem ei tribuunt (quæ utique vel soli menstruo forte adfuerit) nemo est qui ignoret: Secundo autem, quod mentiuntur etiam in his, quæ accidunt, explorandis. Non enim sicut gallinæ sine maribus oua pariunt, ita mulierem aliquando vident sine viro vel molam vel eiusmodi quippiam aliud concepisse. Satiū igitur est, matris semen motus principium supponere: fœminæ verò, ad animalis generationem existimare ipsi aliquid conferre. Quantum autem id sit quod confert, paulo post explicabo, cum primum præsentem disputationem conclusero. Ut enim anatomici ipsi nos docent, ab uno hoc motus principio, statim ut semen in uterum est coniectum, & certe diutissimè post, neutrum pudendorum adhuc formatur, ignorabisque sit'ne mas an fœmina, quod conceptum est: postea verò tandem deprehenditur, sit'que perspicuum. Causam autem discriminis in sexu, partim quidem ex spermate habet, partim autem à matre trahit. Quo pacto autem ipsarum causam utranque hanc quidem iam inde ab initio habeat, aliam autem post assumat, statui id demonstrare non rationibus probabilibus

libus sed evidentibus demonstrationibus ex disse-
 ctionibus inuentis, ex quibus, certo, scio, admirabi-
 lis tibi naturæ ars illucescet, si quæ dicturus sum
 attentè audieris. Nam vena cava qua primum
 adhuc ex hepate emergens, sublimis ad spinam fle-
 ctitur, dextrum habet renem, ad dextram sibi ad-
 iacentem, tum deinceps paulò infra ad laevam, si-
 nistrum. Producitur autem ex ipsa vas venosum
 maximum in utrunq; renem, atq; etiam sub utro-
 que rene videas alia duo vasa equè magna, à
 maxima arteria, quæ spinæ incumbit, profecta, nõ
 aliter quàm venas in renes inseri. Tanquam au-
 tem ren dexter propè iecur sit locatum, sinister
 autem inferius, solis ipsius vasis, quæ in renes infi-
 guntur, peculiare quiddam obtigit, cuiusmodi
 alijs nullis, neq; eorum quæ à vena cava, neq; eo-
 rum etiam quæ à magna arteria promanant. Illa
 enim omnia bina ex ipsilè locis vasis utriusq; ex-
 oriuntur: venæ autè & arteriæ, quæ ad renes per-
 tinent, à magnis quidem vasis, at non ipsidem locis
 oriuntur, sed quantò ren dexter altero est altior,
 tantò & vasorum quæ in ipsum infiguntur pro-
 ductio ea est altior, quæ in alterũ inseritur. Quo-
 niam verò partes genitales his subiacent, iugum
 venarum & arteriarum quod ad ovis fertur, ex
 eisdem partibus proficisci erat necesse. Non enim
 amplius aliæ quidem ipsarum ad editum, aliæ au-
 tem ad imum pertinent instrumentum: sed ma-
 trix sinistra eandem cum dextra habet positio-
 nem,

nem, tum testiculi utriusque equali loco sunt siti. Quocirca vasorum quæ ad ipsa feruntur, quæ ad dextram matricem, atque ipsius testiculum progrediuntur, à magnis ipsis vasis quæ sunt ad spinam proficiuntur, vena quidem à caua vena: arteria autem ab arteria magna. Quæ verò ad sinistrum testiculum in masculis aut ad matricem sinistra in foeminis perueniunt (sunt autem hæc etiam duo: una scilicet arteria, & vna vena) non amplius à magnis ipsis vasis, sed ab eis, quæ ad renes feruntur, emergunt. Ex quo intelligi potest, testiculum sinistrum, in maribus: & matricem sinistram, in foeminis, sanguinem impurum adhuc atque excrementosum, humidum ac serosum, recipere. Quæ ex re accidit, ut ipsa quoque instrumenta quæ recipiunt, temperamentum habeant diuersum. Quemadmodum enim sanguis purus excrementoso est calidior: ita & partes dextræ quæ ex ipso nutriuntur, sinistris sunt calidiores, tamen si natura principio superabundabat. Demonstratum enim nobis sepe est, id quoque ab Hippocrate rectè fuisse dictum, quòd partes, quæ secundum rectitudinem sunt sitæ, necessario plus inter sese communicant, ac fruuntur: non igitur amplius miraberis, si matricum dextræ ac testiculorum dextræ, non solum quòd secus ac sinistra nutriantur, sed quòd etiam secundum hepatis rectitudinem sunt locata, sinistris ad modum sunt calidiora. Atqui si hoc est demonstratum, ac præterea conceditur, masculum
foemin

fœmina esse calidiorē: probabile etiā est partes dextrās, masculorū: sinistrās, fœminarū esse generatrices. Eodem certē pertinent & quæ ab Hippocrate sunt dicta: Vteruis testiculus φάρων extrinsecus apparuerit, si dexter, masculus: sin vero sinister, fœmina. Cum enim primum partes genitales intumescunt, voxq; mutatur, ac grauior atq; asperior efficitur (id enim est φάρων, id est, caprire) tunc Hippocrates precipit obseruare vtra partium sit fortior. Quæ enim prius tument, incrementoq; sunt maiore: eæ vtiq; sunt fortiores. Verū ne quis hīc hallucinetur, distinctione quadam est opus. Quandoquidem pars fortior aut imbecillior altera, bifariam dicitur. Vno quidem modo simpliciter ac natura in toto genere: altero autem, in solius huius individui animalis compagine. Siquidem cor hepate, arteriæ venis, & nerui carnibus, postremo dextra omnia sinistris in omni animalium genere sunt fortiora. Fieri tamen potest, vt verbi gratia Dionni aut Theoni dimidia capitis pars, dextra scilicet aut partis dextræ oculus sinistro sit imbecillior. Ad eundem sanè modum & testiculorum simpliciter quidem dexter est fortior: priuatim autem huic cuiuspiam sinister potest esse fortior. Habet enim is plures dextro flexus varicosiformes, vt plurimum, ob eamq; causam, scrotum quo inuoluitur, est laxius. Interdum etiā alioqui in multis fortiorē inuenias, vt cum in prima compactio

pactione affectus aliquis dextro testiculo accide-
 rit, in his certè sinister est fortior. Quinetiam cum
 dexter rem positione sinistro fuerit propinquus
 (idenim aliquando etiam accidit, sed raro) inue-
 niuntur tunc à vasibus quæ in ipsum inseruntur
 propagines, quæ etiam ad dextrum testiculum in
 masculis quidem, ad dextram verò matricem, in
 mulieribus feruntur. Vt igitur generatim dicam,
 quælibet in animali pars, morbida magis atq; im-
 becillior in omnem vitam redditur, si quod vitium
 vel exiguum in prima conformatione ei obtigerit.
 Cuius vitij culpa tum in primum maris cum fœ-
 mina coitum intempestiuum, tum in grauide vi-
 ctus rationem sequentem, est conferenda. Verùm
 de his quidem non est nunc dicendi locus. Porrò te-
 sticulus dexter, cum altero imbecillior factus fue-
 rit, in eo affectu, quem tragon nominant, sinister
 prior † indicium perhibet, quo casu colligere possu-
 mus id animal fœminas procreare, quemadmo-
 dum si secundum naturam ipse permanserit, de-
 xter autem prior in trago attollatur, id animal
 (quod in ipso est positum) masculos gignat. Siqui-
 dè fieri potest, ut etiam si initium à fœmina sit profe-
 ctum, semen, quod alioqui fœminam erat generatu-
 rum, à dextera matrice calfactum, fœtum efficiat ma-
 sculum. Contra quod masculum erat geniturum, à si-
 niestra refrigeratum, in contrarium transmutetur.
 Quandoquidè si semè sit paulo frigidius, matrix verò
 plurimum sit calida: nil miri est ab ea, quod spermatis
 deest

† Antiquus
 legit, ele-
 uatur.

deest, adijci. Sin verò plurimum sit refrigeratum, deinde in etate declinantis animas dextram matricem inciderit, haudquaquam ab ipsa inuabitur. Cùm igitur duplex sit masculorum generationis principium, in fœminis quidem dextra matrix, in masculis verò, dexter testiculus, matricis autem vt plurimum valentior sit ad fœtum sibi assimilandum, vt que diutius cum eo versatur: consentaneum est fœtum masculum in dextra, fœmininum verò in sinistra, bonam partem inueniri, siquidem vt plurimum ipsa sibi ipsi semen assimilat. Potest tamen accidere vt interdum à caloris, qui semini inest, vi subacta, masculum pro fœmina fœtum fieri permittat. Hoc certè est raram, magnoq; eget excessu. Vt plurimum autem masculus in dextra, fœmina in sinistra matrice inuenitur: quorum principium venarum matricis nutrientium est causa.

Quamobrem mammae cum matricibus consensum habeant.

C A P. VIII.

PORRÒ quid cause sit cur mammae tantum habeant cum matricibus consensum id iam explicabo: etenim mirabilem quandam id quoq; nature artem indicabit. Cùm enim partes vtrasque ad vnum opus obeudum cõparasset, ipsas per vasa coniunxit, quas, dum de thorace ageremus, ad mamas venire memorauimus venas & arterias, ad hypochondria ac totum hypogastrium deducendo, post

post autem ijs, quæ à partibus infernis sursum feruntur, coniungendo, à quibus venæ ad matricem ac scrotum perueniunt. Sola enim hæc in animalibus vasa partim quidē ex partibus quæ sunt supra phrenas profecta, ad inferna corporis feruntur: partim autē ex inferioribus sursum, quod prædictas solas particulas per vasa coniungi erat necesse: vt quando in matricibus fœtus augetur ac conformaretur illi soli venæ communes, ex vtrisque alimentum affundant: quando verò natus fuerit, mammis rursus alimentum totum affluat. Quæ causa est cur eodem tempore menstrua bellè procedere nequeant, & fœmina lactare. Altera enim pars dum sanguis ad alteram transfertur, sicca semper relinquitur. Ceterum ante conceptum in muliere etate florente quidquid sanguinis superflui colligitur, natura singulis mensibus per venas ad vterum pertinentes, id excernit. Cùm autem iam conceperit, ex ijsdem vasis fœtus trahit alimentum. Porrò venæ quæ illic sunt, latitudine ac longitudine sunt tantæ, vt fœtum non modo affluenter nutriant, verum etiam superfluum quidpiam semper congerant. Quod cum toto conceptus tempore in his cõmunibus vasis ceu promptuarijs quibusdam alimenti, aceruatum ea attollit, ac omnino distendit, & veluti exundat, locum in quẽ transferat sese, requirit: quem reperire non potest nisi in pectore, in quod simul venæ distentæ ac grauata id immittunt: simul autem vètris totius

moles, quæ propter conceptum ipsis incidit ac pre-
 mit, ad locum cedentem propellit. Ita igitur lac
 menstruo germanum esse ait Hippocrates. Proin-
 de cum vitium aliquod fœtui ipsi acciderit eius-
 modi, ut non amplius alimentum, quod satis sit,
 attrahere queat: aut cum in mulieris corpore deli-
 ctum eiusmodi contigerit, ut non satis sanguinis
 suppeditare ei amplius possit, eo casu operum natu-
 ræ ordo quidem confunditur ac perturbatur, con-
 trarijs autem affectibus mammae prehendantur
 est necesse, impleantur quidem lacte ante tempus,
 cum fœtus est imbecillus: gracilescant autem post-
 ea, cum matrices alimenti penuria laborant. Un-
 de Hippocrates dicebat: Mulieri in utero haben-
 ti, si lac ex mammis fluxerit copiosum, fœtus red-
 ditur imbecillus, nempe quod superfluum omnè,
 sursum ad mammam ascendat, quod fœtus in ve-
 nis reliquit, cum ipse præ imbecillitate, quantum
 sibi ad moderatam nutritionem satis esset, attrahe-
 re nequit. Quando verò, rursus inquit, Mulieri
 in utero habenti, si mammae graciles repente fiât,
 abortiet, tunc fœtum fortem quidem esse est pu-
 tandum, sed copiosum ei alimentum deesse. Nam
 primum quidem ex venis matrici communibus
 sanguinem trahit, atque interim mammae graci-
 lesunt, non ita autem multo post fit abortus, cum
 scilicet nutrimentum omnino ei deficit. Sed hæc
 quidem omnia, physica sunt problemata: quæ con-
 secutione quadam ad ea quæ nunc sunt proposita,
 recens

recensuimus. Proprium autem presentis expositionis erat, ut communis matricum cum mammis usum explicaremus, & vasorum, quae ab eis vasis, quae in renem è directo situm inseruntur profecta, in testiculum ac matricem sinistram perueniunt. Omnia enim haec natura excogitauit quò duplex generationis principium foetibus compararet, ut alter quidem eorum esset mas, alius verò femina. Atque de ijs quidem res sic habet.

Vnde tanta voluptas in usu venereo: vsusque serosorum humorum in matrice, qualisque sit seminis substantia.

CAP. IX.

Ceterum cur cum usu partium genitalium voluptas quidem maxima sit coniuncta, insana autem cupiditas in omnibus florentibus animalibus usum precedat: deinceps nobis est dicendum, non primam adhuc neque principalissimam causam vestigantibus (diximus enim ante naturam eiusmodi fuisse machinam, quò genus in perpetuum maneret incorruptum) sed materialem atque instrumentariam. Non enim ob id tantum quòd dii qui animalia effinxerunt, voluerunt, aut immensam venereorum cupiditatem esse ingentem, aut ingentem voluptatem esse coniunctam, protinus cupiditas ac voluptas animalibus accesserunt: sed ex materia atque instrumentis ad ea ipsa appositè comparatis. Arteriae enim &

venæ quæ à locis, quæ ad renes pertinent, ad partes genitales feruntur, matricum quidem fundum præteruehuntur, lateralibus verò ipsarum partibus postea inuectæ, in duo diuiduntur: tum autem pars alia illinc à lateribus ad testes fœminæ secedit, qui & ipsi matricibus adiacent: altera verò ad fundum progressa, multipliciter in ipsum tota distribuitur. Committuntur autem hîc fines vasorum, quæ in sinistrum sinû matricis sunt diuisa, cum finibus eorum quæ in dextrû eiusdem sinum sunt distributa. Quò fit vt dextra matricæ assumat quidem, exiguam tamen serosam humiditatē. Quæ humiditas, præter dictû antea r sum, alium quempiam erat præstatura maximum, vt quæ acrimoniam quandam ac mordacitatem habeat, quod humoris genus, omnium maximè potest partes ipsas ad agendum excitare, voluptatemq; dum ipse agunt, præbere. Quòd si parua quedam ac leuia magnorum ac mirabilium naturæ operum exempla, quò res sit clarior, in hanc disputationem oportet adferre: eiusmodi quiddam mihi accidere intellige, cum humores hi serosi incalescunt: quod maximè accidit, cum humores acres sub cuti animalis sæpe sunt aceruati. titillât enim tunc, ac pruritum excitant, & suo motu voluptatem adferunt. Quando igitur non modò eiusmodi humores vacuari postulant (eoq; nos excitant ac pungunt ad sese excernendum) verùm etiam spiritus multus ac calidus expirare gliſcit, incredibè
 leno

lem quendam existimare oportet voluptatis esse excessum. Præterea cum partibus his natura sensum quàm cuti longè exactiorem propter eandem utilitatem tribuerit, mirum amplius videri non debet, neque cur ipsis illinc voluptas maior accedat, neque cur cupiditas ingens ipsam præcedat. Hæc autem causa etiam est, cur plerunque à vasis quæ in dextrum renem inseruntur, propagines quædam ad matricem rectà ferantur. Cùm enim utilitas horum serosorum excrementorum duplex sit futura: prior quidem, ad augendam in sinistris partibus frigiditatem: secunda verò, ad cupiditatem ac voluptatem ingentem in usu instrumentorum excitandam: prior quidem semper sinistris, secunda verò aliquando dextris per longa vasa inest. Accedit autem eò aliud præterea quoddam adiumentum non aspernandum à corporibus glandulosis, quæ utraque parte colli vesicæ sunt locata: in quibus & ipsis humor quidam spermatici quidem similis, verùm tenuior longè continetur, ceterum de eo quidem paulò post tractabimus. Ipsum autem semen spirituosum est, ac spumosum: ut si extra effusum aliquando fuerit, paulò post diminitius multò appareat, quàm cum initio exciderat, desicceturq; citissimè, præ viscositate: neque quemadmodum mucus & pituita diutissimè, perdurant, neque siccantur, molemq; æqualem servant. tenuis enim & aquosa ac cruda horum, crassa autem & viscosa, & spiritu vitali ple-

na, ipsius seminis est humiditas.

seminis generatio, materia & locus. CAP. X.

Quando igitur in proprium locum incidit, principium fit animalis generationis: cum autem in alienum, expirat quidem ex ipsa humiditate repente spiritus, relinquitur autem viscosa humiditas, quae in seipsam confidet. Causa vero etiam generationis huius haec est: Ex ijs vasis, quae ad matrices accedunt (quae ad latera ipsarum distribui diximus) quae pars fertur deorsum, involuitur, modo persimili ijs vasis, quae in testiculos masculorum perueniunt. Vena enim superiacet. subiacet autem arteria, utraque flexus multos, numero aequales efficiens, instar capreolorum quorundam varie implexorum: quo implexu sanguis & spiritus qui ad testes feruntur, diutissime coquuntur: clareque cernas humorem, qui in primis flexibus habetur, adhuc sanguinem, in sequentibus deinceps magis, magisque albescere, quoad in omnium postremis totus albus omnino fuerit redditus, qui flexus postremi in testes terminantur. Testes vero cum sint laxi ac cauernosi, humorem qui in vasis caeptus erat concoqui, excipientes & ipsi rursus percoquunt: perfectius quidem ad foetus procreationem masculorum testes, maiores cum sint & calidiores: ac tum propter intervalli longitudinem, tum propter vasorum coquentium robur, exactius iam elaboratum sit id quod in eos descendit. Imperfectius autem testes

stes fœminarũ id efficiunt, vt qui minores sint ac frigidiore, minusq; exacte coctũ humorem excipiunt. Cur autẽ sanguis cum in vasis diutius moratur, albescat, si quis eorum meminerit, que in libris de facultatibus naturalibus demonstrauimus, eũ spero facile inuenturum. Demonstrauimus enim in illis partẽ omnẽ, alimentũ sibĩpsi assimilare. Quid igitur mirũ est, si cum tunica vasorum sint albæ, sanguinẽ in formã sibĩipsis similem immutent? At fortẽ quæret aliquis: cur in nullo alio vase id accidere cernatur: cui promptũ est respondere, quòd in nullo vase sanguis ita diu moratur: neq; enim vlli alteri vasi nõ dico flexus tam multi insunt, alijs alijs cumulati, sed ne vnus quidẽ omnino inest. Quòd si moraretur diu, nec præterflueret ac repẽtẽ vacuaretur, liceret & in alijs quibusdã animalis partibus succũ eiusmodi reperire, quãquã & vasis cuiusq; humidũ natiuũ, à quo ipsorũ tunica nutriuntur, est eiusmodi. Quare nihil mirandum est, si in prædictis flexibus sanguine velut stagnante, succus spermaticus congeratur. Quem cum testes exceperint, perfectẽ quidem in masculis, imperfectius verò in fœminis conficiunt. Perspicuum est, quòd alio quodam vase, quod ipsum rursus accipiat, atque ad excretionem deducat, opus erit. Hoc certẽ loco si quis accurate in partium dissectionibus versatus fuerit, fieri nõ potuit, quin nature artem admiretur. Cursus enim marem semen foras eiaculari, fœminã autẽ

in seipsam oporteret: ob eam causam & vasa quæ
 semen à testibus acciperent, in maribus quidem
 ad pudendum exporrexerit, & ad meatum, quæ il-
 lic est, orificio adaperuit, per quem etiam lotium
 foras emittitur: In fœminis verò, tum in ipsas ma-
 trices inseruit, tum constituit vt in capacitatem
 internam semen excernerent. Quæ omnia quam-
 quam sunt admirabilia, multò tamē ijs quæ iam
 subiiciam, magis mirabere. Cùm enim vtilitas
 vtriusque seminis nō esset similis, quòd neutrum,
 neque multitudine, neque viribus alteri esset simi-
 le, neque vas spermaticum forma, aut latitudine,
 aut longitudine simile, extitit. Sed marium qui-
 dem latum est, ac longum, & cùm iam prope pu-
 dendum accesserit, velut sinus quosdam habet: fœ-
 minarum verò contrà, angustum ac breue. Hoc
 enim tametsi est exiguum ac tenue, satis tamen
 esse poterat recipiendo semini ac deducendo. Ma-
 rium verò nisi longū simul ac latū & nigroōdes,
 id est, varicosum, extitisset, quònam pacto semen
 tum multum, tum crassum excepisset? quomodo
 item facile deduxisset? quomodo confertim ac re-
 pentè in matrices eiecisset? Verùm hæc quidem na-
 turæ opera sunt mirabilia: tum etiam quòd in coi-
 tibus partes genitales vndique extendantur, quò
 simul quidem matricum collum dirigatur ac pa-
 tefiat (vt antè memorauimus) simul autem se-
 men excernatur. Quantū enim ad ea quæ in va-
 sis continentur excernenda, ipsa partiū velut con-
 uulsi

uulsio, quæ in coïtu venereo accidit, habeat momenti: ex magnis epilepsijs, & eo affectu qui *γέρπτοια*, id est, inuita seminis effluxio, nuncupatur, discas. Siquidem in vehementibus epilepsijs quod corpus totum vehementer conuellatur, & cum eo partes genitales, semen idcirco excernitur: In gonorrhœis autem sola vasa spermatica afficiuntur. Quæ igitur tensio in prædictis affectibus vasis ijs accidit, ea & in coïtibus cum iisdem accidat, semen excernunt. Porro venereorum cupiditatem, & in vtendo partibus ipsis voluptatem, quo pacto seminis substantia cogat fieri, dictum nobis antè fuit.

Seminis muliebris vtilitas, & quod ad foetus generationem concurrat. CAP. XI.

Quin & fœminæ semen præterquam quod confert animalis generationi, ad hæc quoque est vtile. Vt enim fœmina quoque ad venerem excitetur, & cum coït cum mare colulum matricis patefaciat, semen non minimum habet momentum. Quantum verò sit, quod ipsa ad animalis generationem confert, dicendum deinceps est, repetitis prius ijs quæ in libris de spermate conscripsimus, in quibus demonstrauimus, semen maris intus in matricibus manere (quemadmodum dixit Hippocrates) cum fœmina est conceptura. Præterea idem semen maris, principium seu originem membranarum ac vasorum omnium esse. Ipsum enim amplius coquitur atque initio statim ex

fœminæ semine nutritur, tanquam id natura familiare magis sit quàm sanguis. Et omne quod nutritur, à similibus augeri facilius possit. Quòd autem ex eo tunica ἀλλαντοειδής gignatur, in ijs cōmentarijs, quos de semine conscripsimus, indicavimus. Porro qui humor in illis corporibus glandulosis gignitur, in meatū vrinarium effunditur: in masculis quidē, unā cū semine in matricem delatus: in fœminis autē & foras & in muliebri pendendum effusus. Utilitates autē eius in vtrisque quidē tā maribus, quàm fœminis sunt, quòd ad vererem excitet, quòd in coitu delectet, quòd deniq; meatum vrinarium madore aspergat: in masculis autem propria & præcipua est, qualis seminis in fœminis. sunt enim inter se specie simillima. semen quod in testibus fœminarū continetur, & humor qui in glandulosis corporibus marium est: cū & robur & calor masculorum detentum in his partibus humorem ita concoquat, ut nihil ei ad fœminarū semen desit. Vnde (opinor) & meatus, qui ex ijs corporibus proficiscuntur, non dubitant vasa spermatica nuncupare: ac primus quidē Herophilus τωγοστράτας glandulosos appellavit: & quæ à testibus explantantur τωγοστράτας κισσοειδής, hoc est variciformes nominare occupavit. At fœmina, cū masculo frigidior sit, inconcoctū ad eò tenuemq; in glandulosis parastatis hunc humorem habet, ut nihil ad prolis generationē conferat, iureq; idè is effunditur suo iam functus officio, in pterū verò

τωγοστρά-
τας, tamē
habet vet.
cod.

etali

trahitur altus, marium nempe humor. Quod autē non solum in venorem humor hic meatū excitet, sed dum erumpit, etiam delectet, meatūq; madefaciat, ex hisce precipuè nosces, planè siquidem tūc feminis effluit, cum & ipse vehementer in coitu oblectantur, & qui concumbunt, circa pudendum sibi eum offundi percipiunt, atqui & spadonibus istud ipsum voluptatem afferre videtur, ut nullam posthac amplius probationem inquirere debeas. Quod autem meatum madefaciat ac molliat, est quidem & ex sua ipsius natura notum. Tanquam enim viscositatem quandam ac crassitiam habens, instar olei meatum inungit, ne exiccatus consideat, prohibeatq; quò minus per sese lotium ac semen facile feratur. Quin & alias quasdam glandulas eiusdem utilitatis causa demonstrauimus extitisse, cuiusmodi sunt ad pharyngē, linguam, asperam arteriam, atq; intestina. At nunc nuper quidā, quòd graciles, & penuria alimenti laborātes, & siccās has omnes partes haberet, ob eam causam visus est nobis non posse prius meiere, quā copiosum in vesica lotiū aceruasset, quòd meatus ipsi siccus esset ac consedisset. Oportebat igitur meatū ipsum à lotij multi ac subitū supernē valide immisi impetu aperiri, alioquin haudquaquā homo ille meiere potuisset. Eāq; cause coniecturam curationis euentus confirmauit, oleosis enim vnguētis locū omnē perfundētes, corpusq; vniuersum renutrientes (erat enim ipsum

sum

summè gracile & præcipuè partes illæ) his remedijs hominem sanitati restituumus. Verùm in coïtu quidem repente ac simul vnà cum semine id elabatur, sensumq; idcirco sui facit, reliquo autem tēpore omni paulatim: eoq; sensu nō deprehēditur. Quare ne eum quidem, qui ex multo venereorum vsu humore hoc exhaustus fuerit, & (non aliter quàm is cuius nunc meminimus) vix meiat, malè putauimus sanari posse, victum temperantiorem ei præscribendo. Constat igitur omnia hæc à natura prouidenter esse comparata, & præter hæc adhuc cornium (quas κρῆναι vocant) generatio. Si enim rectè in ijs quæ de facultatibus naturalibus prodidimus, fuit demonstratum, tū cæteris omnibus animalis partibus, tum matricibus præcipuè, facultatem inesse propriæ qualitatis attractricē, oportuit omnino aliquem etiam meatum ipsis ad huiusmodi succum attrahendum, fuisse comparatum. Porro matricibus succus familiarissimus est (cuius etiam recipiendi gratia extiterunt) semen. Quod cum sit duplex, duplices quoque ipsis meatus extiterunt: ad virile quidem semen trahendum meatus is, quem ἀνδρῶν, id est, collum anatomici nominant, quod ad muliebrem pudendum diximus pertinere: ad semen verò à proprijs testiculis trahendum, κρῆναι, id est, cornua fuerunt comparata. Quæ propterea sursum ad ilia spectant, paulatimq; arctata desinunt in fines angustissimos vtraque ipsorum διδύμου sui lateris

teris (sic enim *Herophilus* testiculum nuncupat) coniuncta. Quod autem eò pertingit vas ad portionem nuncupatorum in manibus varicosorum parastatarum est, id quod paulo antè nominatum, à nobis est spermaticum. Insunt autem matriçi & corpora musculoſa, quæ ad testiculos descendunt, in masculis, à musculus hypogaſtri. Quocirca quod ad hoc etiam pertinet, fœmina ipsa partes omnes habet, quas & masculus. Quod si alias quidem ipsarum minores, alias autem maiores habet: ars naturæ hic quoque est admiranda, quæ nihil, ne in fœminis quidem, fecit minus, quod maius esse oportebat, neque rursus maius, quod minus esse conueniebat.

Testes & meatus spermatici in maribus maiores.

CAP. XII.

Quod nanque testiculos ac meatus spermaticos in maribus maiores esse melius erat supra id monuimus. Cùm autem id esset satius, natura iure sursum cornua matriçû porrigens prope testiculos sustulit, ut quod vas spermaticum eò peruenit, paruum esset: contra autè in masculis fecit, ut in hoc libro dictum nobis fuit. Cùm enim testes utrinque radicem νεωλῆς (sic enim pudendum virile nominant) circumstant, si in vasis spermaticis conformandis aliud nihil fuisset machinata, non solum non maiora ipsa fœmininis effecisset, sed multò etiã minora. Lon-

gum igitur quendam vie circuitum ipsis exco-
 gitavit, ipsa prius ducens sursum ad ilia: rur-
 sum autem per interna deducens ad eum vsque
 locum vnde pudendum enascitur, vbi semen
 erant eruētatura: quo loco multis, flexibus ea
 contorsit, varicososq; effecit, vndique plurimum,
 quoad licebat, amplificando ac dilatando, rece-
 ptacula ea adfluentie seminis comparans inume-
 ra. Quod si nolis oscitanter quae hic à me dicun-
 tur, accipere, sed ad dissecanda animalia concedēs,
 operum naturae spectator esse velis: videbis vasa
 spermatica maris, non parum superare, sed longi-
 tudine, profunditate, ac latitudine multis parti-
 bus reperies foemininis esse maiora. Ob eas igitur
 causas mulierum testes parvi admodum extite-
 runt, & matricibus vtrique adherentes ad epi-
 gastrion. Virorum autem testes tū magnitudine
 fuerunt longè maiores tū sub ventrē fuerunt ab-
 ducti, vt ne ipsum quidē omnino tāgant. Si enim
 eos in ventre quoq; collocasset, praeterquam quod
 arētarentur simul, & partes quae illic sunt arētā-
 rent: vasorū etiā spermaticorū necessariò longitu-
 dinem minuissent, quae nunc quidem infernè sur-
 sum subeuntia, ac rursus supernè deorsum descen-
 dentia, longitudinem acquirunt commemorabilē.
 Tunc enim supernè deorsum duntaxat tendētia,
 de ea longitudine quam nunc habent, partem to-
 tā dimidiā amisissent. Foeminarū verò testicali-
 cū parui penitus essent, vasaq; exigua essent pro-
 ducta.

ductura, loco quem nunc possident opportunissimo sunt siti, utraq; quidem matricis parte positi, paulo autem supra cornua abducti. Quod autem & magnitudini vasorum spermaticorum in mare nata ra magnopere providerit, discas licet tum ex piscibus, tum maxime & ex auibus: cum enim ipsas, fecunditatis causa semen copiosissimum aceruare oporteret, ob eamq; causam, quo vasa citius succum adfluentem coquerent, & in seminis boni generationem conficerent, ipsa in loco calente collocari esset melius, non simpliciter prope meatus semen excernentes, ea constituit (breuia enim sic extitissent) sed longissime abducens, diaphragmati coniunxit, qui locus certe omnium est calidissimus, ut qui a quatuor visceribus operiatur, superne quidem a corde & pulmone: inferne autem, ab hepate & liene. Quin & spatium, quod est in medio, erat maximum, quod totum vasa spermatica erant occupatura, videnturq; omnia a natura in quoq; animalium genere mirabiliter fuisse inuenta. Verum de alijs quidem animalibus fortassis olim tractabimus. Homini vero (de eo enim praesens sermo est institutus) spinae longitudo non piscibus modo neq; auibus sed omnibus animalibus breuior est si aliorum partium analogiam spectes, ipsos quoq; testes magnos habenti, positio haec non erat opportuna. Nam ut alia omittam, haudquaquam, quomodo illa animantia, multi seminis ipsum esse oportebat: semen autem mediocre, hominum testes,

etiam

etiamsi calidis instrumentis non sint propinqui, propter magnitudinem ac caliditatem possunt gignere. Sed de horum positione hæc sufficiant.

Quàm diligenter muniantur vasa spermatica.

C A P. X I I I.

DE magnitudine autem vasorum spermaticorum (hinc enim sermo noster est digressus) mirari oportet naturam, quo pacto prius ipsa à testibus deducens ad ilia, eadē rursus ad maris pudendum reduxit, quo loco postea ad meatū, qui à vesica proficiscitur, orificia aperuit, per quē etiam vrina excernitur. Non modo enim quòd propter solam magnitudinem tam longum inuenit circuitum, sed etiam quòd securitati eorum prouiderit, æquum est ipsam admirari. Quo enim meatu qui est à peritoneo, velut fistula quadam, nutrientia testiculos vasa deduxit, eodē ad spermatici vasis ascensum est abusa, cōmunem tribus vasorum generibus securitatem, vnum hūc meatum inueniens, illinc autem rursus deducens, coxendicum quidē ossibus à lateribus, pubis verò ex anterioribus, osse lato ex posterioribus ipsum munivit, cuiusmodi enim sit id quoq; miraculum, in ossium memoratorum cōpositione, ne interpretari quidem fuerit facile. Ad spinæ quidem finem, os quod sacrum & magnū nuncupatur est subditū: vtrinq; autem à lateribus ipsis ossa duo adherēt, multis partibus prædicto maiora, & figura admodū varia: quæ maxima sui parte ad ilia sursum
spe

spectat, ad latera verò & infra paulum procedunt: partibus verò anterioribus, rotundis apophysibus satis magnis mutuo coeunt: qua verò prædicta hæc omnia coniunguntur per cartilagineam, internas superficies, alia quidem magis, alia minus: omnia tamen simas, cauas, & leues adeptæ, vnum efficiunt magnum osseum fornicem, qui operit simul ac munit partes omnes animantis, & vasa spermatica, quæ internam ipsius capacitatem occuparunt. Siquidem vesica prima osibus pubis subiacet (sic enim anatomici paulo ante memoratas ossium apophyses rotundas, quas inter sese mutuo coherere diximus, appellare consueuerunt) post hanc autem, sunt matrices, foeminis: post matrices, intestinum rectum. In masculis verò vasa spermatica per eum potissimum locum descendunt, quæ quòd & longa sint, & tendi, contrahiq; vehementer in coitibus ipsa oporteat, robustam admodum natura ipsis tunicam effecit. Et quoniam id eis, in maribus magis quàm in foeminis accidit, idcirco & tunica in maribus beneficio parastatarum variciformium robustior extitit: eadem autem ratione his multo imbecilliores, effectæ glandulose sunt, quòd & minime sint, & humorem consistentia tenuem contineant. Sic natura in omnibus est æquissima cum reliqua omnia, tum robur, & imbecillitatem, tum crassitiem, ac tenuitatem, prout cuiq; est æquum distribuens, etenim si in dissectionibus consideraueris quanta sit

cuiusq; venarum, & arteriarum, & nervorum, qui ad genitales partes perveniunt, magnitudo, equitate conditoris (scio) admirabere. Nervi enim sunt mediocres, venae verò & arteriae nō maximae solum, sed etiam duplices ad eas perveniunt. Alterum enim earum iugum ex locis renibus propinquis proficiscitur, quod in testiculos & matricum fundum diximus distribui. Alterum autem ex vasis, quae sunt ad os sacrum, seiunctum, partibus inferioribus inseritur, ubi primū in foeminis quidem matricis collū, in maribus autē, virga (quam καυλὸν vocant) exoritur. Nam partes omnes matricum inferiores, & ipsarum meatus, ac praeterea tum quae ad muliebrem, tum quae ad virile pervadendam attinent, ex ijs vasis nutriuntur. Utilitas autem ipsarum alia quidem est, ut magnarū: alia autem, ut duplicium. Cum enim non sibiipsis solis matricem, sed etiam foetibus alimentum comparent, idcirco magnis indigent vasis. Magnis autem testes etiam indigent, quod neq; ipsos solum nutrirī, verū etiam semē gignere oporteat.

† Mihi videtur is locustam in graecis quā Latinis corruptus. sic autem ego legerem, Quoniam autem ar-

† Quod autem arteriarum & venarum iugum, quod gratia nutriendi solum ad partes genitales pervenit, impurum adhuc & excrementosum sanguinem contineat, neq; opus esset, praeterquam ad nutriendum, alias quasdam utilitates praeberet, quas paulo ante ostendebamus ea vasa praeberē, quae à renibus proficiscuntur: ferofum, & acrem, & non vndequaq; benignum habere sanguinem

ips

ipsum oportuisse, omnibus est perspicuum. Ob eas ^{teriarū &}
 igitur causas, quæ ab osse lato feruntur, ex vasis ^{venarū iu-}
 magnis adiacentibus manant: neque inuenias lo- ^{gum, quod}
 cum alium propinquum magis, ut venas & arte- ^{solū nutriē-}
 rias & nervos minore intercapedine ad partes ge- ^{di gratia}
 nitalias adducas. Retinetq; natura hoc loco, quod ^{ad genita-}
 iam sæpe diximus, ut breui interuallo alimentum ^{lia perue-}
 partibus nutriēdis adducat. In altero autem prin- ^{nit, impu-}
 cipio, quod à renibus oritur, videri possit sui ipsius ^{rum adhuc}
 oblita, nisi quis exploratas habeat prædictas uti- ^{& excremē-}
 litates à vasis quæ supernè descendunt. In foemi- ^{tosum fan-}
 nis certi interualli longitudo minus apparet, ut po- ^{guinè con-}
 te in quibus in ventre matricibus sint posite. In ma- ^{tinet, quo-}
 ribus verò ceu appensos testes habentibus, quæ ad ^{opus est ad}
 ipsos à renibus venæ & arteriæ procedunt, longio- ^{nutriendū,}
 res apparent. Omnia igitur inter se testantur re- ^{ut alias}
 ctè à nobis fuisse dicta, simul etiam naturam in ^{quasdam præ-}
 omnibus iustā ostendunt. Nam & nervorum iu- ^{beret utili-}
 gum simul cum vasis quæ ab ijs, quæ sunt ad os ^{tates, quas}
 magnum: emergunt, extenditur ac diuiditur, quæ- ^{nuper ostē-}
 admodum cum venis & arterijs in alias partes ^{debamus,}
 perueniētibus. Siue enim per minimū interuallū, ^{præbere ea}
 siue per loca tuta vasa nutritura duci oporteat, ^{vasa, quæ}
 perspicuū est, quòd vtraq; nervos habere est equū. ^{à renibus}
 Quare ab eisdem proficiscentur locis, & per ean- ^{deriuatur,}
 dē viā simul ducentur. Arterias verò & venas ^{serosū &c.}
 supernè manātes, cū genitalia instrumēta ex abū-
 danti assumāt, iure nullus ex spinali medulla, quæ
 est ad lūbos, nervus vnā cū illis fertur. Per lōgam

enim viam hos quoque deduci, non erat melius. Quin & crassities eorum exactè pro vsu ipso est mensurata. Cum enim tres sint scopi in nervis partibus singulis distribuendis (vt antea demonstrauiamus) sensus quidem in instrumentis sensificis: motionis in motorijs, dignotionis doloris, in reliquis omnibus: matricibus quidem totis & partibus masculorum omnibus, quæ ad testiculos & scrotum pertinent, paucissimis opus fuit nervis, qui in ipsas distribuerebantur: vt quæ neq; ad sensum exactiorem, neque ad motum aliquem voluntarium inseruiant, sed ne meatus quidem sint, excrementorum velut intestina. At virga maris, & matricum collum, atq; alia quæ ad pudendum ipsum pertinent, tanquam sensum quendam exactiorem ob coitum venereum postulent, merito nervos plures sunt adepta. Si igitur memineras nos demonstrasse, hepar, & lienem, & renes nervis minimis indigere, & præterea partes genitales, præter eas, quæ ad pudendum pertinent: deinde videris in animalium dissectionibus partes genitales, quomodo & prædicta viscera, nervis exiguis esse præditas: solas verò eas, quæ sunt circa pudendum, nervos insignes magis, habere: certo scio te in eo quoq; iustitiam naturæ admiraturum. Proinde hoc nervorum iugum neq; admodum est tenue, quemadmodum id, quod in hepate est, liene, ac renibus, neq; ita commemorabile, vt id, quod ventriculo inest: sed crassities amborum, quoad fieri

fieri maximè potest, est medium, quòd & mista quedam ab ipso, instrumentis accessura erat utilitas: Nam alijs quidem partibus, utilitas accedit, qualis hepatis & renibus: his verò quæ ad pudentum attinent, qualis à nervis qui sunt ad ventriculum, accedit.

Qualis sit substantia vesicarum exponitur, & cur ventriculus & intestina duabus tunicis constât: cur etiam matricis tunicæ infit omne genus fibrarum.

CAP. XIII.

Cur autem intestina omnia & ventriculus ex duabus tunicis constiterint, matricibus verò vna satis fuerit, quemadmodum & utriq; vesica, diximus quidem id iam summam sermone præcedenti, cum instrumentorum nutritionis indicatorum constructionem exponeremus. Necessè tamen est nunc quoq; tantum dicamus, quantum ad matricum doctrinam interest. Vesicarum quidem corpora natura dura & vix patibilia comparavit, ut quæ tantum excrementa essent receptura: intestinis verò ac ventriculo, ut quæ coctionis potius essent instrumenta, quàm superfluarum receptacula, carnosior substantia erat ac commodatior. Non enim quo bilem reciperent, aut pituitam, aut alia denique serosa excrementa, quæ plerunque à toto corpore confluunt, natura hæc comparavit: sed eis cum aliarum actionum gratia extitissent, abusa etiam est ut excremen-

torum meatibus. Proinde meritò, forma substantiæ corporis ipsorum, suis actionibus fuit accommodata. Porrò tunicarũ numerus propter vsum acquisititium eis accessit. Periculũ enim erat (vt cum de eis ageremus demonstrauimus) ne altera tunicarum interior scilicet, nonnũquam afficeretur ac corroderetur. Vt igitur in ea sola malum sistatur, alteram extrinsecus ei circumiecit. In matricibus verò, vt quæ sanguine puro ac benigno alantur, vnica tunica satis esse potest. Sed quoniam non solum intrò eas semen attrahere in cõitibus oportebat, sed etiam retinere quo tempore vtero geritur, & excernere, cum foetus fuerit perfectus: ob eam causam genus omne fibrarum natura ipsis est molita, id enim persæpe iam repetimus, quòd singula instrumenta, dum agunt fibris rectis quidem ad sese attrahunt, transuersis verò, excernunt & retinent autem omnibus simul. Quæ verò membrana intrinsecus hęc est circumdata, & utrasque matrices in idem coniungit, tegitq; & cõ vicinis corporibus colligat. Quin & alia quedam matricibus sunt ligamenta cum eis corporibus, quæ sunt ad spinam: & cum alijs circumfusiis, quæ ligamenta omnia laxa sunt ad modum, neq; laxa ad eò in vlla alia parte reperias. Nulla enim alia sua natura plurimũ diducitur, & postea in minimũ considet. Oportet sanè & ligamẽta vnã cum viscere toto extendi, & ipsum sequi, neq; ipsa abrũpi neq; viscus sinere errare, aut in sedes alienas

nas præter modum inuadere. Quod verò ad ipsius positionem attinet, quòd collum quidem in muliebre pudendum desinat, decenter ibi locatum fuisse, supra fuit comprehensum. Quòd si illud, deorsum spectare oporteat, liquet quòd reliquam totam capacitatem in vètre sitã esse oportuit. Cur autem ante quidem est vesica, retro verò rectum intestinum, in medio verò amborum matrices: nisi quòd melius fuit, cum ipse, dum conceperunt, quamplurimum extendantur, ex posterioribus quidem partibus, velut substerniculum quoddam ad spinam: ex anterioribus autem, velut propugnaculum habere? Tenuissimæ enim omnino matrices sunt, quo tempore gerunt, nempe quòd profunditas in longitudinem sit absorpta, eoq; imbecillimæ. Quinetiam propter tumorem, ad loca omnia circumfusa progrediuntur. Haudquaquam igitur sine dolore ac pernicie cum vicinis ossibus versatæ fuissent, si nulla particula media intercessisset. Cur autem natura non in ipsos testes spermaticum vas, sed innuncupatam epididymidæ, mediam amborũ locauit? Quoniam laxi admodum testes & caueriosi ac molles, cū spermaticis vasculis, & testibus ac duris, coalescere tunc non poterant. Quare hic quoq; (quæ sepe iam monstrauimus) natura effecisse videtur, corpora scilicet quæ substantiã habent contrariã, non vnuisse, sed semper in eo laborasse, vt vinculum quoddã necessitudinis inter ipsa medium collocaret. Quantũ enim robore & densitate

Et duritie in didymis à spermaticis vasis supera-
 tur, tantum ipsa testes superat. Quin et ex par-
 tibus ipsius, eae quae vasis spermaticis inseruntur,
 sunt durissimae: quae autem testibus, eae sunt mol-
 lissimae: quae verò in medio sunt, omnes ad portio-
 nem inter sese exuperant. Siquidem quae sunt va-
 sis spermaticis propinquiores, eae sunt durissimae:
 quae testibus, eadem ratione sunt mollissimae. Cur
 verò in didymis in foeminarum testibus non
 sunt sensibiles ac manifestae, sed vel omnino non
 videbuntur tibi inesse, vel parvae omnino esse, ni-
 si quòd primum quidem didymus, id est, testis,
 ipse foeminis est exiguus, et vas spermaticum iti-
 dem paruum? Proinde nihil miri est, quòd ea con-
 iungit, paruum esse. Præterea et substantiæ
 ipsorum inter se discrimen est exiguum, non au-
 tem ut in masculis, maximum. Nam maris te-
 stes humidiores sunt ac molliores foeminarum te-
 stibus, et vasa spermatica, duriora: contrari-
 um verò ijs sunt in foemina. Ipsa enim spermatica mi-
 nus sunt dura ob memoratas iam causas: testiculi
 autem minus rari et laxi, ac humidi, quòd sub-
 stantia sunt frigidiores. Noquaquam enim ab
 calore nativo flatu distenti fuerunt, et, ut dicat
 quispiam, fermentati. Iure igitur optimo sibi in-
 vicem substantijs sunt affinia. ut pote cum testi-
 culi duriores sunt effecti, vasa verò spermatica
 quae in eos inseruntur, sint molliora. Quare non
 indigebant magno aliquo vinculo, quòd sese con-
 nect

neſceret, quodq; paulatim ab alterius duritie diſcedens, ad mollitiem alterius accederet. Quod autem teſtes in mare eſſent penduli, ob id & muſculus ad ipſorum vtrunque vnus, ab ilibus peruenit, vt ij etiam motus voluntarij ſint participes. Quid autem ſemen foemininum maſculo conferat, & quae vtriuſque ſit ſubſtantia, & omnia huiuſmodi, in commentarijs quos de ſemine ſcripſimus, demõſtrauimus. Oportetq; hic librum hunc terminare: proximo enim artem omnem naturae in foetibus explicabimus.

*

ff 5

